



N O T A E
AD ACTORUM
CAPUT I.

Vers. I..



Ucas prudentissime fecit, ut statim in Actorum proœmio Evangelii a se conscripti meminerit, ut Evangelii, jam a multis cum laude venerationeque recepti, memoria Actis, ab eodem autore proditis, eandem fidem & gratiam conciliaret. *Quomodo vero Lucas affirmat, se scripsisse de omnibus, quæ caput Jesus facere S. docere, cum Johannes cap. 21. v. 25. dicat, hoc esse ἀδύνατο?* Respondet Chrysostomus, non dixisse Lucam, quod scripserit *omnia*, sed *de omnibus*, perinde ac si quis dicat *summatum S. in genere*, aut de omnibus loqui, quæ necessaria sunt.

**Ηρξαῖο ποιεῖν. non quod cuperit duntaxat, sed etiam perfecerit,* quamdiu nempe in terris visibiliter commoratus est. Gen. 2. v. 3. καὶ πάντες δότο τῶν ἐργῶν αὐτοῦ, ὡν ἡρξαῖο οὐ Θεὸς στοῦνται. Luc. 1 I. v. 29. ἡρξαῖο λέγειν. *(Similiter etiam Latini loquuntur, ceu ex Plaut. Bacch. Act. 2. videre est: quin etiam Germani. Imitantur eandem loquutionem h. I. Syrus, Arabs, Æthiops.)*

Per τὰ ποιώμα quidam in genere accipiunt, quæ vel *in Christo facta*, utpote miraculosa conceptio, nativitas ex virgine, oblatio in templo &c. vel *a Christo facta*, utpote miracula, ut hac ratione omnia, quæ in Evangelica Historia Lucæ continentur, ad hæc duo capita referri possint. Quidam vero in specie *tantum miracula* intelligunt, proinde ut Luc. 24. v. 19. hæc duo conjunguntur, quod Christus fuerit *duvatos εὐλόγων καὶ ἐργῶν*. Potest etiam dici, quod sancta vitæ conversatio intelligatur, qua Christus illud ipsum, quod verbis docuit, exemplo vitæ expressit, sicut ποιεῖν καὶ διδάσκειν conjunguntur Matth. 5. v. 19. Sed textui maxime congruit, per ea, quæ Christus dicitur fecisse, *miracula* intellegi; per ea, quæ docuit, *Evangelii doctrinam*.

A 3.

Q. Quas.